

2099.

1317 d. 16 Mars.

Skara.

Kanikerne i Skara HEMFAST, PETER af Wånga, HAGBARD och THORKEL uppdraga åt sin medbroder Mårten, att å deras och Kapitlets vägnar välja Domprosten Bengt till Biskop, efter deras gemensamma beslut, samt att offentligen förkunna detta val.

Orig. på perg. i Kongl. Bibl.

In nomine domini amen anno eiusdem. M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. XVII<sup>o</sup>. quarta feria proxima post gregorii, Nos HEMFASTUS, PETRUS de wanghum, HAGBARDUS et THÝRGILLUS canonici scarenses, vna cum domino martino concanonico nostro, deputati a capitulo scarensis ecclesie compromissarii, ad prouidendum eidem ecclesie de pastore, prout instrumentum edocet de hoc factum, ipsi domino martino committimus, vt dominum benedictum dicte scarensis ecclesie prepositum, in quem conuenimus vnanimiter, vice nostra et ipsius capituli eligat, ac cum scriptis eleccionem pronunciet in communi, ad cuius euidentiam huic scripto sigilla nostra duximus apponenda. Actum scaris, anno et die supradictis.

*På frånsidan:* Eleccio domini B. scarensis facta per compromissarios.

Sigillen N. 1 och 4 borta, remsorna kvar; 2 och 3 (andliga) skadade.

2100.

1317 d. 19 Mars.

Skara.

DOMKAPITLET i Skara underrättar utvalde Ärkebiskopen Olof och Kapitlet i Upsala, att Domprosten Bengt blifvit vald till Biskop i Skara efter den aflidne Brynolf, och befullmäktigar Kanikerne Johan Bengtsson och Hemfast att begära stadfästelse på detta val, med anhållan att denna måtte vid lägligt tillfälle, utan den utvalde Biskopens personliga inställelse, beviljas.

Orig. på perg. i Kongl. Bibl.

Venerabili in christo patri, domino suo, Domino olauo dei gracia vpsalensi electo consecrato, Totique suo capitulo, CAPITULUM SCARENSIS ECCLESIE Tam voluntaria quam debita seruicia, et omnimodam in omnibus quibus potest reuerenciam, Cum salute in domino perhenni, Quia reuerendum virum, dominum benedictum prepositum nostrum, nobis et ecclesie nostre, per mortem venerabilis patris domini bryniulphi quondam episcopi nostri bone memorie, ad tempus pastoris solacio desolate, vnanimiter elegimus et prouidimus in episcopum, et ipsius successorem, Notificamus vobis quod

discretos viros dominos iohannem benedictson et hemfastum concanonicos nostros, facimus, constituimus et ordinamus nostros veros, certos, et legitimos procuratores, ac nuncios speciales, et quemlibet eorum in solidum, ita quod non sit melior condicio occupantis, sed quod vnus inceperit, alter prosequi possit, ad comparandum et se presentandum coram vobis, ac ad petendum ex parte nostra et nomine nostro, confirmacionem prouisionis seu eleccionis nostre de dicto domino benedicto celebrate, immo et eciam munus seu consumacionem consecracionis, opportuno tempore a reuerenda paternitate vestra et vestro collegio venerando, per benignum patrociniū et fauorabile consiliū, vtiliter inpendende, Dantes eisdem procuratoribus nostris et cuilibet eorum in solidum sicut dictum est, plenam, generalem et liberam potestatem premissa prosequendi, et pro prestanda sedi vpsalensi obediencia debita, in animas nostras seu animas dictorum procuratorum nostrorum, prout canonicum fuerit, et sufficere seu expedire videbitur, iurandi, ac omnia et singula faciendi que necessaria fuerint, ad dicte eleccionis seu confirmacionis negociū prosequendum, et ipsius effectum seu expedicionem quoquo modo contingere dignoscuntur, et promittentes firmiter, nos, gratum, ratum et firmum perpetuo habituros, quicquid per dictos procuratores nostros, actum, gestum, procuratumve fuerit in premissis vel quolibet premissorum. Nos igitur a vobis, post mortem supradicti reuerendi patris nostri domini brýniulphi quondam episcopi nostri, a nobis vobis intimatam, tam salubri, quam sinceri affectus, consilio, in perplexitatibus nostris releuati, et quamplurimum confortati, audaciam ad petenda recipimus ampliora, Cum omni quo possumus affectu supplicantes, Quatinus benignitate, beniuolencia et fauore a sede vestra vpsalensi, ad scarensē ecclesiam habitis specialiter, et a retroactis temporibus semper habere solitis, dicte eleccioni nostre seu prouisioni de dicto domino preposito celebrate, et maxime propter grauitatem persone sue, et vt parcatur laboribus et expensis, ipso absente et non comparente personaliter, velitis et dignemini munus confirmacionis inpertiri In quorum testimonium sigillum nostrum commune videlicet sigillum capituli scarensis ecclesie, presentibus est appensum, Datum et actum scaris, anno domini. M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. XVII<sup>o</sup>. sabbato, Sicientes.

*På fränsidan.* Littera procuratoria dominorum johannis benedicti. et hemfasti in negocio scarensi. — *Med yngre hand tillagdt:* vbi Capitulum Scarense petiit Archiepiscopum vpsalensem Electum suum absentem confirmare et eleccionem de preposito eorum ratificare.